



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Contumax potest excommunicari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

pore confessionis, non tunc affirmatur: quia si attri-
 tus (ut prædictum est) suscipit sacramentum pœni-
 tentiæ & Eucharistiæ, satisfacit præcepto Ecclesiæ.
 Ex hoc autem quod peccata memoriæ occurrunt,
 sicut non tenetur ad tunc confitendum, ita nec ad
 tunc conterendum. Vtrumque enim est præceptum
 affirmatiuum, obligans tempore necessitatis, quod
 non constituit memoria. Sed tenetur semper ad non
 approbandum, ad nō complacendum: quia ista sunt
 præcepta negatiua, quæ obligant semper & ad sem-
 per. Dies quoque festos sanctificare noua contritio-
 ne peccatorum, sanctum consilium ac omni obser-
 natione dignum est, non tamen præceptum: quia nec
 ex parte contritionis præceptum de contritione de-
 terminatur ad diem festum, nec ex parte diei festi
 præceptum de sanctificatione festorum, determinat
 sibi contritionem peccatorum.

Contumax potest excommunicari.

Contumacia, pro quanto contra obedientiam iu-
 dici debitam tendit, peccatum est mortale. In
 cuius signum potest contumax excommunicari.

Contumelia quando sit peccatum mortale.

Contumelia (qua quis malum culpæ iniuriosè in
 proximum coram profert: puta, Tu es fur) pecca-
 tum mortale est formaliter sumpta: quia quantum
 in se est, lædit proximum in bono honoris. Dixi for-
 maliter, hoc est ex intentione dehonorandi, quia ma-
 terialiter (hoc est non ex intentione dehonorandi)
 possunt verba contumeliosa absque vilo peccato di-
 ci: reprehensionis gratia, vel cum peccato veniali ex
 leuitate. Memento quoque hic & vbiq̃, quod hu-
 iusmodi peccata mortalia ex suo genere sunt venia-
 lia propter imperfectionem actus, vel quia primi mo-
 tus: vel quia contumelia minima, vel quia materialiter